[illegible] de 31 [illegible]
[illegible] capitan [illegible]
[illegible] de los [illegible]
[illegible] en la [illegible]
[illegible] del año 1612
al 1773 [illegible]
[illegible]

FUE DESINFECTADO
Este libro usado
para su venta

ESTE MARBETE DEBE SER
TRUIDO POR EL COMPRADOR

Ximenez de Zisneros. — Fidem facio ita esse —

Fr. Joseph Martz de Niedma

ACTA
CAPITULI PROVINCIALIS

Imperiali hoc in noſtro Capitulari Sanctiſſimi Parentis N. Dominici Mexiceo Cœnobio, die ſexta Maij, anni ab univerſo redempto ſeptingenteſimi quinquageſimi ſecundi ſupra milleſſimum laudabiliter celebrati,

Sub R. Admodum P. N. M.

Fr. ANTONIO CLAUDIO DE VILLEGAS

huiuſce noſtri Conventus Priore, totius Jacobeæ Eparchiæ Generali Vicario, ac in præſenti Capitulo pleno omnium conſenſu ad Provincialatus ſolium felicitèr aſſumpto.

DEFINIENTIBUS UNA CUM IPSO

RR. A. PP. NN. Fr. Joſepho de Larrimbe, in Sacra Theologia Magiſtro, Regia pro hac Mexicea Academia Theologo Doctore, Sanctæ Inquiſitionis Qualificatore, huius Mexicanæ Provinciæ Ex-Provinciali, ac tandem ad utramque Curiam Romanam, videlicet, & Matritenſem Generali miſſo Procuratore, atque in præſentiarum ex natis in Indijs primo Definitore; Fr. Bernardo Eſpinoſa, in Sacra Theologia Magiſtro, Conventus noſtri Sanctæ Mariæ Virginis de Pietate Priore, ex natis in Hiſpania Definitore ſecundo; Fr. Nicolao Monteſdoca, Magiſtro, Domus noſtræ Sancti Hyacinti Vicario, ex natis in Indijs tertio Definitore; & Fr. Didaco Maguete de Leon, in Sacra Theologia Magiſtro, Sancti Officij Qualificatore, quondam Provinciæ noſtræ Secretario, ac pro utraque Curia Generali Procuratore, & pro præſenti Capitulo, huius noſtri Mexicani Cœnobij condecoratiſſimo Priore, ex natis in Hiſpania quarto Definitore.

Mexici: ex Sacrorum Librorum Typographia Dominæ Mariæ de Ribera in publica via de Empedradillo. Anno 1752.

RPJCE

-:(✠):-

IN NOMINE

SANCTISSIMÆ INDIVIDUÆQUE TRINITATIS PATRIS, ET FILIJ, ET SPIRITUS SANCTI, AC ALMÆ Matris Intemeratæ Virginis MARIÆ, Sanctiſſimi nec non P. N. DOMINICI, Sanctorumque omnium. Amen.

ABSOLUTIONES.

ABſolvimus in primis Suppriores omnes Cōventuum, ac quarumcumque huiuſce noſtræ JACOBEÆ Eparchiæ Domorum Vicarios, & Præſidentes.

DENUNTIATIONES.

DENUNTIAMUS P. V. REVERENDISſimæ, quod cnm R. A. P. N. Præſentatus Fr. EMMANUEL XIMENEZ DE ZISNEROS, in ſecundo ſui Provincialatus anno, inſcrutabili Dei Providentia, ê temporali vita, ad cœleſtem (ut piè credimus) religioſé migraſſet: noſtræ JACOBEÆ Eparchiæ ob id talis muneris obtigit vacantia. Qua propter, tàm ſecundum noſtrarum Conſtitutionum inſtituta, præſertim diſt. 2. cap. 3. quam ſecundum ſpecialem ordinationem pro hac noſtra Mexicana Provincia, latam â Reverendiſſimo P. N. Mag. Generali Fr. Nicolao Rodulfo, Pariſijs datam die vigeſima Auguſti, anno 1632. in Provinciali noſtræ Almæ Eparchiæ Capitulo, anno elapſo 1633. obtemperatam, R. A. P. N. in Sacra Theologia Mag. Fr. ANTONIUS CLAUDIUS DE VILLEGAS, Sanctæ Inquiſitionis Qualificator ad altiorem

Prælaturæ locum exercitio Vicarij Generalis præfatæ Provinciæ fuit erectus: & præterquamquod ipſa noſtrarum legum decreta eum in Paſtorali Prælaturæ Officio conſtituebant, utpotè actualis Prior huiuſce noſtri Imperialis Conventus; ipſius tamen cura, atque vigilantia, nec non celſiora illius merita tantæ dignitatis eum iuremerito dignum proclamabant. Quam obrem ei in huiuſmodi Cœnobij Capitulo per campanulæ ſignum convocato, quemadmodum, & in omnibus alijs noſtræ Eparchiæ Conventibus, & Domibus omnes debitam preſtitere obedientiam, ipſumque tamquam verum, ac legitimum cognovere Vicarium. Inſimul manifeſtum facimus omnia acta per prædictum R. A. P. N. olim Priorem, & Vicarium Generalem valida, & rata fuiſſe, ſingularique providentia diſpoſita. Inſuperque declaramus eum eſſe vigilantiſſimum Divini cultus cuſtodem, ut omnibus pateſit in quatuor candelabris argenteis (vulgo Acheros) & duobus Pedeſtalibus, in unoque prætioſo ornamento brevi temporis unius anni intervallo (quo in officio Vicarij Generalis ſtetit) ab ipſo ſingulari regimine, & ordinatione fabricatis, atque adeò in ipſo reſplendet cõmunis boni procuratio, ut præfato in tempore ſoluta maneant quaſinovẽ millia ſcutorũ (vulgo peſos) quæ in hoc Mexicano Cœnobio debebantur, ac tandem ſeptem millia, quæ tam pro præfati noſtri Conventus reparatione, quam pro Domorum ipſius conſtructione ſunt applicata.

Denuntiamus P. V. Reverendiſſimæ, quod die ſexta Maij currentis anni, ſervatis omnibus de iure, & more ſervandis, Præſide dicto R. A. P. N. in Sacra Theologia Mag. Fr. Antonio Claudio de Villegas, Quondam nominati Conventus Priore, ac huius noſtræ Eparchiæ Generali Vicario, communi omnium placitu, concordi, pleno, ac liberrimo electorum conſenſu, in ſupremo Paſtorali noſtræ Provinciæ munere fuit collocatus, ipſemet R. A. P. N. Fr. Antonius Claudius

DIUS DE VILLEGAS, in Sacra Theologia Magiſter, Sanctæ Inquiſitionis Qualificator, Examinator Synodalis Epiſcopatus Guadalaxarenſis, & etiam huiuſce Mexicani Archi-Epiſcopatus. Quem ſapientia virum, benignitate, religione, rectitudine, cæteriſque maturi gubernij mirificis naturæ donis inſignitum, non ſolum frequens procerum, ac magnatum huius præclariſſimæ Urbis plauſus, verùmetiam uniforme cunctorum ſtudium conclamitant. Quapropter à P. V. Reverendiſſima hanc electionem confirmare ſuppliciter oramus, ac petimus.

Denuntiamus P. V. Reverendiſſimæ ad nos feliciter perveniſſe Allocutionem Sanctiſſimi Domini Noſtri BENEDICTI Papæ XIV. in ſecreto conſiſtorio habitam, die 16. Septembris, anni Domini 1748. de pretioſa morte Illuſtriſſimi Domini D. Petri Martyris Fratris noſtri, Epiſcopi Mauricaſtrenſis, Vicarij Apoſtolici Provinciæ Fo-Kienſis in Regno Sinenſi, ac poſtea litteras alias die vigeſima Septembris eiuſdem anni à P. V. Reverendiſſima, Miſſas, quibus nobis notitiam præbet Martyrij, atque glorioſæ mortis Illuſtriſſimorum Dominorum D. Fratris Petri Martyris Sans, D. Fratris Franciſci Serrano, atque Venerabilium Patrum Fratris Franciſci Gil de Federicis, Fratris Matthæi Alphonſi Leziniana, Fratris Joannis de Alcober, Fratris Joachin de Royo, & Fratris Franciſci Diaz, in Provincia de Tun-Kin, Imperij de Sian; ac tandem litteras alias V. P. Reverendiſſimæ, ſub die 15. eiuſdem anni toti Ordini noſtro Miſſas, accepiſſe declaramus, quibus ad noſtram pervenit notitiam, cultus, & venerationem Beatorum Ordinis noſtri Ægidij Presbyteri, & Alberti de Bergomo, tertij noſtri Ordinis de Pœnitentia appellati profeſſus, quorum ſolemnitas ſub Ritu duplicis feſtivitatis in toto Ordine noſtro, atque Civitatibus nativitatis ipſorum BENEDICTUS XIV. ſuis decretis die tertia Septembris eiuſdem anni expeditis celebrare conceſſit.

Quas omnes litteras â P. V. Reverendiſſima Miſſas ferre mandavimus per totam noſtram Mexicanam Provinciam.

Denuntiamus etiam P. V. Reverendiſſimæ ſuas recepiſſe litteras die vigeſſima ſeptima Aprilis, anni Domini 1749. toti Ordini exhibitas, quibus inſtructi ſumus virtutum, & prætioſæ mortis Reverendiſſimi P. Fratris Nicolai Ludovici Ridolfi, Sacri Palatij Magiſtri, nec non Acta Capituli Generalis celebrati Bononiæ in Conventu Sancti P. N. Dominici, die prima Junij, anni Domini 1748. in quo P. V. Reverendiſſimam uti ſupremum totius Sacri Ordinis noſtri Patrem, dilectiſſimum: vigilantiſſimum Paſtorem, ac Generalem Magiſtrum ſummo omnium gaudio veneramur electum. Quæ quidem ſtatim toti Communitati huius noſtri Imperialis Conventus notæ, ac publicatæ fuerunt, poſteaque ea epiſtola generali transferre præcepimus per Conventus omnes, atque Domos præfatæ noſtræ Provinciæ ordinando Prioribus omnibus, atque Vicarijs noſtræ curiæ ſubjectis, ut obſervent, atque obſervare faciant, quæ in eis matura diſcretione, ſummaque præcipiuntur benignitate.

Denuntiamus P. V. Reverendiſſimæ huiccine apulliſſe Provinciæ ſuam epiſtolam, die decimaquarta Januarij, anni Domini 1750. datam, in qua P. V. Reverendiſſima comburere iubet Breviaria omnia, atque Miſſalia, quæ ſuperaddito nomine N. Rmi. Mag. Generalis Venetiæ fuerunt impreſſa; quam quidem ordinationem ſtatim executione poſuimus, in cæteriſque noſtræ Provinciæ Domibus, & Conventibus ponere mandavimus; ſimiliter declaramus recepiſſe confirmationem Capituli R. A. P. N. in Sacra Theologia Præſentati Fr. Emmanuelis Ximenez de Ziſneros (qui in pace requieſcat) celebratam die decimatertia Martij eiuſdem anni, exhibitamque die prima Aprilis anni ſupracitati; cum ea ſimul accepimus litteras alias ſub die ſecunda

5

cunda Decembris, anni Domini 1749. exhibitas, quibus P. V. Rmà. veniam dignatur concedere R. P. Prædicatori Generali Fr. Franciſco de Elexabeitia, ut reſtitui poſſet (uti iam defacto egreſſum ê noſtra Jacobea Provincia ad hunc finem fecit) ad ſuum Cœnobium S. P. N. Dominici de Victoria, ubi ſacrum noſtrum ſuſcepit habitum.

Denuntiamus inſimul P. V. Rmæ. Regias ad nos perveniſſe litteras Catholicæ Maieſtatis Ferdinandi ſexti Regis noſtri, ſub die vigeſima octava Martij, anni Domini 1748. exhibitas, quibus nobis inſinuat, ac monet prædicationem Bullæ Cruciatæ Sanctæ, tàm vivorum, quam defunctorum, & compoſitionis dandam eſſe Religioſis Doctioribus, ipſis intimando ſpecialem ponere curam in perſuadendo Indijs, cæterisque Perſonis, ut Bullam accipiant, docentes, ac ipſis declarantes innumerabiles gratias, quas Chriſti Vicarius, ac totius Eccleſiæ caput fidelibus omnibus in huiuſmodi Bullis conceſſit; ſimiliter declaramus alias accepiſſe litteras de mandato Concilij Catholici noſtri Regis die decimaquinta Decembris, anni Domini 1750. expeditas, quibus prohibetur Religioſorum tranſitus de hoc Regno ad Europam, ac in ipſis exprimitur, quod niſi adſit Religionis negotium nullus Prælatus quemcumque ex ſibi ſubditis licentiare queat.

Denuntiamus P. V. Rmæ. alias Catholici N. Regis litteras ad nos veniſſe ſub die decima octava Octobris, anni Domini 1750. expeditas, quibus nobis confert notitiam nuptiarum, quas die decima tertia Aprilis eiuſdem anni celebravit Sereniſſima Domina Doña Maria Antonia Infanta, chariſſimaque N. Catholici Regis Soror cum Sereniſſimo Principe de Saboya Comite, atque Filio primogenito Sereniſſimæ Maieſtatis de Cerdeña; cum igitur feliciſſima hæc coniunctio (ut nobis in regalibus litteris exprimitur) tranquillam pacem inter utramque Coronam, atque Catholicæ noſtræ

ſtræ fidei incrementum ſecum afferat, gratias (quas Rex noſter Catholicus nobis exhibere præcepit) Divinæ Maieſtati debitas gratulanter exhibuimus.

Denuntiamus P. V. Rmæ. ad nos ſuas veniſſe litteras die decimaoctava idus Auguſti, anni Domini 1750. exhibitas, quibus P. V. Rmà. in noſtram ponit notitiam cultum B. Marcolini à Forolivio amplificatum, & ſancitum à Benedicto XIV. Pontifice Optimo Maximo, cuius benignitas, eiuſdem feſtivam celebritatem die decimaquarta menſis Januarij affixam, cum oratione, & lectionibus proprijs pro ſecundo Nocturno ſub ritu duplici celebrare conceſſit; ſimiliterque auxit celebritatem B. Matthæi Carrerij, quam nonis Octobris conſignatam eſſe nobis iam oſtenſum eſt; ut etiam de eo datis pro ſecundo Nocturno peculiaribus lectionibus, & oratione, non ſolum ab univerſo Prædicatorum ordine, verumetiam â Clero Viglevanenſi, & Mantuano recolatur.

Denuntiamus P. V. Rmæ. litteras ſuas Patentes accepiſſe pridie idus Septembris eiuſdem anni datas, quibus P. V. Rmà. nobis præcipit pro Joanne V. Luſitaniæ Rege ſacras peragere exequias cum ſolemni Miſſa, & Defunctorum Officio; ac Sacerdotes ſemel pro eo celebrare, cæteroſque Fratres, & Sorores ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, aut tertiam Sanctiſſimi Roſarij partem recitare; quæ omnia magno cum gaudio executioni mandavimus. Similiter alias litteras Patentes P. V. Rmæ. declaramus accepiſſe ſub die 22. menſis Julij eiuſdem anni, quibus P. V. Rmà. declarat nos habere facultatem extrahendi totam ſummam [redacted], [redacted] pecuniæ capitalis Collegij Sancti Ludovici Angelopolitanæ Civitatis ad reparationem, & reædificationem Domorum huius noſtri Imperialis Conventus; ita tamen, quod hoc Mexicanum Cœnobium maneat obligatum ad ſolvendum, quolibet anno, ſcuta (aut peſos quinque, pro quolibet centum capitalis á no-

bis iam recepti ſecundum legem, atque huius Regni conſuetudinem. Item V. P. Rmæ. manifeſtum facimus, alias Patentes litteras à V. P. Rmâ. Miſſas accepiſſe ſub die trigeſimo Auguſti anni Domini 1751. in quibus P. V. Rmâ, conſtituit pro Depoſitarijs capitalis ſupracitati in primo loco: R. A. P. N. in Sacra Theologia Magiſtrum, præſenti in Capitulo Priorem Provincialem Fr. Antonium Claudium de Villegas, in Indijs natum, & R. A. P. N. Magiſtrum, in hac noſtra Eparchia Ex-Provincialem Fr. Franciſcum Lopez in Hiſpania natum; in ſecundo loco ſi ſupradictos PP. NN. mori contigerit, R. P. Præſentatum Fr. Felicem Sanchez, natum in Hiſpania, & R. P. Præſentatum Fr. Antonium de Sierra in Indijs natum; in tertio loco, ſi præfati PP. morte impediantur; R. P. Prædicatorem Generalem Fr. Raymundum Sequera, natum in Hiſpania, & R. P. Fr. Ignatium de Villerias in Indijs natum; quas omnes litteras obtemperatas denuntiamus.

Etiam denuntiamus P. V. Rmæ. ſuas recepiſſe patentes litteras ſub die vigeſimoſecundo menſis Julij, anni 1750. quibus ſequentes gradus conferre dignatus eſt; in primis: Magiſterium titulo prædicationis pro natis in Indijs R. P. Præſ. Fr. Caſimiro Montenegro, in loco vacanti ob mortem R. A. P. M. Fr. Antonij de Eſcobar: huiuſque præſentaturam in loco vacanti ob aſſumptionem ad Magiſterium R. P. Præd. Generali Fr. Joanni Zeballos. Prædicaturas Generales, etiam pro natis in Indijs R. P. Fr. Petro de Soto-mayor in loco vacanti ob aſcenſum ad præſentaturam R. P. Præſ. Fr. Joannis Zeballos, R. P. Fr. Vincentio Caſtrejon, titulo linguæ in loco vacanti ob mortem R. P. Præd. Generalis Fr. Franciſci Condarco, R. P. Fr. Joanni Palmeros in loco vacanti ob mortem R. P. Præd. Generalis Fr. Michaelis Garaza. Inſimulq; cum his alias ſuſcepimus patentes litteras ſub eadem die, menſe, & anno ad præ-

ſentaturam titulo lectionis pro natis in Indijs promoventes R. P. Lect. Fr. Emmanuelem Fletes in loco vacanti ob aſcenſum ad Magiſterium R. A. P. N. M. Prioris Provincialis Fr. Antonij Claudij de Villegas. Ad prædicaturas autem pro natis in Hiſpania R. P. Fr. Raymundum Sequera in loco vacanti ob aſcenſum ad præſentaturam R. P. Præſ. Fr. Petri Dorado qui ad Præſentatum fuit promotus in loco vacanti ob mortem R. P. Præſ. Fr. Bartholomei Ponze litteris patentibus P. V. Rmæ. ſub die 22. Julij, anni Dñi. 1750, expeditis, R. P. Fr. Franciſcum Artuza in loco vacanti ob mortem R. P. Præd. Generalis Fr. Philippi Ceſſarini: cuius ultimi gradus litteræ patentes ſub die ſunt decimaſexta Februarij anni Domini 1750. exhibitæ.

Denuntiamus itidem: patentes litteras die quarta menſis Auguſti, anni 1751. à V. Rmà. expeditas, fuiſſe ſuſceptas, quibus ad ſequentes promoventur gradus, primo pro natis in Hiſpania R. P. Lect. Fr. Petrus Moreno Zañudo, ad præſentaturam titulo lectionis ob mortem vacantem R. P. Præſ. Fr. Joannis Emmanuelis de Eſtrada; una cum his alias ſuſcepimus litteras ſub die vigeſimaquarta Auguſti, anni 1751. præſentatos inſtituentes ac creantes titulo lectionis pro natis in Hiſpania R. P. Fr. Felicem Sanchez in loco vacanti luctuoſam, fauſtamque ob mortem R. P. Præſ. Fr. Ildephonſi Perez Cabrera, R. P. Lectorem Fr. Michaëlem Rodriguez in loco vacanti ob mortem R. P. Præſentati Fr. Auguſtini Saldaña, Reverendum Patrem Lectorem Fr. Joſephum de Alcalà in loco vacanti ob aſſumptionem ad Magiſterium R. P. Præſ. Fr. Petri Moreno Zañudo, cuius Magiſterij patentes litteras ſub eodem die, menſeque, & anno collati in loco vacanti ob mortem R. A. P. M. Fr. Franciſci de Romo: Suſcepimus Ad gradum tandem Prædicaturæ Generalis titulo prædicationis pro natis in Indijs R. P. Fr. Petrum Ignatium de

de la Campa Cós in loco vacanti ob infirmitatem dementiæ Reverendi Patris Lectoris Fr. Petri de Sotomaior, tituloque Miſſionis R. P. Fr. Cajetanum Guerrero in loco vacanti ob mortem R. P. Præd. Generalis Fr. Joſephi de Arteaga promoventes ſuſcepimus litteras ſub die nona Septembris, anni 1751.

Denuntiamus itidem: nos litteras ſuſcepiſſe ſub die trigeſimaprima menſis Martij, anni 1751. in quibus Miſſarum onus Conventus Sanctæ Crucis de Zacatecas, Sedis Apoſtolicæ facultate pio levavit V. Rmà. moderamine: quas in Archivo, earumq̃ exemplar in Miſſarum libro exaratum, prout V. P. Rmà. decernit, ſedulo ſervantur, noſtroq̃ grato in corde tantum beneficiũ.

Alias cum his inſimul ſuſcepimus litteras ſub die vigeſimaquarta menſis Auguſti, anni 1751. quibus tot eſublimibus meritis, fructuoſis, atque laboribus R. A. P. N. M. Prioris Provincialis Fr. Antonij Claudij de Villegas, ductus, ac motus Rmus. P. N. M. Generalis Cameram ſeu Cellam, quam modo in Imperiali S. P. N. Dominici Mexiceo Conventu inhabitat, pro toto ſuæ vitæ tempore (quam Deus propagare dignetur) concedit, & applicat. Non minori ratione ipſius zelo, fidelitateque pulſa Rmi. P. N. M. Generalis recta fiducia patentes accepimus litteras R. A. P. N. ſupra relatum M. Priorem Provincialem Fr. Antonium Claudium de Villegas eius Collectorem, & Generalem Procuratorem in hac noſtra Provincia Sancti Jacobi de Mexico conſtituentes, pro quibus grato animo V. Reverendiſſimæ plurimas perſolvit grates.

Sub eadem itidem die, menſeque, & anno aliæ ad noſtram Provinciam devenere litteræ, quibus V. Rmà. R. P. Præd. Generalem Fr. Raymundum Sequera ſuper reſidentiam in Conventu Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Queretaro (pro quo Prædicator Generalis exiſtit) iuſtas ob cauſas diſpenſat.

Denuntiamus etiam V. Rmæ. P. ſumma atque incomparabili hilaritate ſuas acceptas eſſe litteras ſub die ſexta Januarij, anni 1751. quibus ſcientes nos facit de nuntio Berolinorum pro certo per illum declarantium Sereniſſimum, ac Potentiſſimum Boruſiæ Regem omnibus Magiſtratibus renuntiaſſe, Catholicamque Religionem (Deo exitante, atque movente) fuiſſe amplexum, atque ad divinum cultum reparandum, baptiſma, cæteraque Sacramenta adminiſtrandum, ad Sacram noſtram Familiam pro miniſtris occurſum fiducialiter feciſſe, publice nos in proprio habitu ſuo in Regno inhabitare, templaque vero Uno, Trinoque Deo conſecranda ædificare ſponte præbuiſſe conſenſum.

Itidem denuntiamus P. V. Rmæ. ſuas fuiſſe ſuſceptas litteras ſub die trigeſima Auguſti, anni 1751. in quibus, nonnullis quod à Rmis. PP. MM. Generalibus de graduum collatione pro natis in Indijs, ſi ex natis in Hiſpania aliqui aliquando deeſſent idonei fuit nobis indultum, irritat, ac exilio mittit: decernens, quod dignis ex natis in Hiſpania ad gradus deficientibus, eorum loca, quouſque alicui adſint apti, vacua maneant, neque ea ut ius alternativæ ſervetur, ullatenus aliquibus ex natis in Indijs conferre poſtulentur.

Innenarrabili dolore, fletuque magis quam verbis denuntiamus P. V. Rmæ. quod die decimaquinta menſis Decembris, anni Domini 1751. per Decretum Exellentiſſimi Pro-Regis hæc noſtra Provincia quatuor ê Parochialibus Domibus doctrinisvè fuit ſpoliata; quarum nomina ſunt hæc Xochitepec, Huexapan, Etcatzingo, atque Tetela.

Non minori dolore, planctuque, & ſi non parva gloria miſto, V. Rmæ. P. denuntiamus: pios, venerabiles, atque Religioſos viros, R. A. nempe, P. M. Fr. Franciſcum Romo, ac R. P. Præſ. Fr. Ildephonſum Cabrera, duobus annis proxime elapſis, omnium animis

illato

inlato iuſte mærore, triſtiſſimum verbum! Feliciter in Domino obijſſe, Cœloſque (ut piè creditur) migraſſe: in omnium equidem virtutum genere, charitatis præcipuè, humilitatis, & obedientiæ, ſic eos Deus clareſcere voluit; ut totum ſuæ vitæ temporis curſum, ſtrictiſſima noſtrarum legum obſervantia, omnibus illuſtria tribuentes exempla, mundique illecebras reſpuentes, ex omnibus, atque honoribus, & muneribus, etiam quibus pro ſuis meritis, ſtudio, ac laboribus dignos æſtimavit Religionis juſtitia, humiliter aufugientes, quippe præter gradus, R.que A. P. M. Regentis ſecundarij, ac R. P. Præſ. in Collegio uterque S. P. N. DOMINICI de Porta-Cœli Vice-Rectoris officia, hocque ſolum obedientia ducti, nullum aliud munus obtinere volentes, intemeratè peragrarent.

Nec prætermittere fas eſt V. Rmæ. denuntiare, immo juſtitiæ expoſcente ratione, Venerabilium PP. Definitor. Juſſu, ut magis, ac magis notum ſit zelum R. A. P. N. M. Prioris Provincialis Fr. Antonij Claudij de Villegas, denuntiamus: ipſum expenſæ e recepto numiſmate librum R. A. P. M. huius Imperialis Conventus Priori Fr. Didaco Maguete de Leon pro ratione nūmmorum ab ipſo, tempore, quo huius Conventus extitit Prior, tradidiſſe reddenda. Quo in expenſæ libro prædictus R. A. P. M. in præſenti Prior valde huius Conventus ærarium invenit increviſſe. Ex centum namque octogeſimiſque, & octo millibus, quatuorque ſuper octingenta ſcutis, aut peſos, & quatuor drachmis, à prima die menſis Junij, anni 1749. in qua fuit in Priorem electus R. A. P. N. M. Prior Provincialis Fr. Antonius Claudius de Villegas, uſque ad diem trigeſimam menſis Aprilis, anni 1752. ab ipſo receptis, præter novem millia ſcutos, peſolve, iam diu ab hoc Conventu debita, ab ipſo ſoluta, centum octoginta, & quatuor millia quinge..ta, & triginta ſcuta, aut pe-

.ƏƏ4

ſos drachmam unam, ac dimidiam expendit. Ex receptis quibus reſiduum ſcutis, quod tria millia ſunt quingenta quinquaginta, & quatuor ſcuta, aut peſos; drachmas duas, ac dimidiam pro domibus, quibuſdam huius Conventus ædificandis applicavit. Ob quæ, aliaque zeli, curæ, ac vigilantiæ R. A. P. N. M. Prioris Provincialis Fr. Antonij Claudij de Villegas, clarum teſtimonium perhibentia, dignas omnes perſolvimus, gratias.

Denuntiamus denique P. V. Rmæ. quod die decima Maij, poſt præſentis Capituli celebrationem, hora octava mane, citatis Vocalibus, ac convocatis, uti iuris eſt, proceſſimus ad canonice eligendum pro Capitulo Generali forſitan celebrando Definitorem, unaque Procuratorem pro Alma, & Matritenſi Curijs ad pertractanda Provinciæ noſtræ urgentiora negotia: ſicque per vota ſecreta, ad hæc munera ſubeunda electus fuit R. P. Præſ. Sancti Officij Qualificator Fr. Franciſcus Larrea. Quam electionem, utpote numeris omnibus abſolutam á P. V. Rmâ. approbari, ac confirmari petimus.

ORDINATIONES, ET PRÆCEPTA.

SUB EUCHARISTICO AUGUSTISSIMI Sacramenti velamine, Dilectus noſter *ſtat* quidem *ipſe* velut *poſt parietem*, ſed ibidem quoque *reſpicit per feneſtras*, *proſpiciens per cancellos*, & quo minus videtur, magis nos videt, ac de propinquo amabiliter obſervat. Unde ſub tantæ Maieſtatis intuitu, quamvis occulto nullum venerationis, ac ſupplicis reverentiæ genus eſt omittendum. Itaque ſtatuimus, ac perpetuis futuris temporibus obſervari mandamus, quod quotieſcumque de more hoc adorabile Sacramentum fuerit renovandum, nemini permittatur

tatur ab eſſe à choro, ſed certatim ſummaque cum religione adſiſtant omnes, & ritu, quo fieri poſſit celebriori accenſis numeroſis luminibus, ſparſis odoramentis, pangente lingua hymnidica, totoque devotionis ferivente apparatu ea ceremonia peragatur, in qua prætioſum illud, & unicum futuræ noſtræ gloriæ pignus circumplectimur, & magno ſolatio contrectamus.

Flos proprius Dominicanæ Religionis eſt Roſarium, quo areſcente languet pariter nativa Ordinis amœnitas, defloreſcit hæreditarius viror, marceſcit letitiæ corona. E contra illo vegetiùs provernante abundat ſuperni roris fœcunda benedictio, fluunt aromata gratiarum, & pietatis germina fructus parturiunt honoris, ac honeſtatis. Cœlitus iſta ex ore Deiparæ Virginis prolixé didicit B. Alanus, & plurium ſeculorum nos docent experimenta. Studeant ergo Noſtri Parthenicam hanc devotionem ſuo non minus exemplo, quam prædicationis ſtimulo ubique in Populo promovere. Specialiter vero Prioribus locorum Vicarijs, & quibuſcumque noſtrarum Domorum Præſidentibus ſerió iniungimus, ut procurent, quod in ſuis Eccleſijs à fideli Populo quotidie congregato publicé clariſque vocibus per alternantes choros recitetur tertia pars quindecadici noſtri Roſarij, ſic quod una die gaudioſa, altero doloroſa, tertio glorioſa Myſteria turno perpetuó ſumantur in laudem Beatiſſimæ Virginis depangenda. Eodem fervore, cura, & induſtria per totam hanc Mexiceam Provinciam Chriſti fidelibus inculcetur pium, ac ſaluberrimum perpetui (ut vocamus) Roſarij inſtitutum, quo dierum noctiumque horis in Populo diſtributis, abſque intermiſſione ſuccurritur animabus, tum in ultimo agone luctantibus, tum Purgatorij ergaſtulo compeditis. Approbavit hoc fructuoſum exercitium Apoſtolica Sedes, & ex Eccleſiæ Theſauro lucrum indulgentiarum adiecit.

 Sua-

Suaviſſimum Genitricis Dei Nomen Maria ſtillat dulcedinem, ob quam Ordo noſter à primis ferè incunabulis non tantùm Glorioſiſſimæ Virginis Perſonam, ſed & ſeorſim quoque ipſius venerabile nomen ſalutare cœpit ex peculiari formula per B. noſtrum Jordanem primitus excogitata, quam hodie vocant *coronellam.* Cum ergo deceat Mexicanam Provinciam nullibi locorum hoc Mariani Nominis melliſluum epiphonoma negligere, ejuſdem quotidianum uſum, ac laudabilem praxim conſtanter in ſingulis commutatibus obſervandam ſeriò commendamus; itaque poſt veſpertinum ſignum Angelicæ ſalutationis omnes idoneo loco in unum conveniant, prædictam coronellam flexis genibus voce, & animo Dulciſſimæ Virgini oblaturi; qua recitata mox ille, qui præeſt de more benedictionem impertiatur. Ab hac vero devota functione neminem domeſticorum, ſive Procurator, ſive Sacriſta, ſive Sanctiſſimi Roſarij Comiſſarius ſit, exemptum volumus, ac declaramus.

Præcipimus, & ordinamus ad maiora noſtræ Provinciæ incrementa incumbentes, quod RR. PP. pro tempore Priores huiuſce Mexicani Cœnobij nimia vigilent curacitate in procuranda Depoſiti conſervatione; quod ſi contrarium fecerint eos ab officio privatos, atque abſolutos eſſe declaramus.

Item præcipimus: RR. PP. pro tempore Priores præfati noſtri Conventus vigilantem curam habere, ne Patres, aut Fratres in aliqua Eccleſiæ parte cum fœminis converſationem habeant.

Præcipimus etiam RR. PP. Prioribus, ac quarumcumque noſtratum Domuum Vicarijs ſub pœna privationis ab officio, quod nullatenus permittant, Religioſos ſibi ſubditos in hac Mexicea Civitate perpetuo vivere; ſimiliterque ordinamus: qd nullus Patrum, aut Fratrum extra hanc Civitatem adſiſtentium, cum

ad

ad illam, ob cauſam aliquam venerint, in ea ingreſſum non faciant ſacrum noſtrum habitum tegendo, ne proſpicientibus Religioſi non appareant; quod ſi quis (quod Deus avertat) huic noſtræ determinationi contravenire præſumpſerit, pro prima vice eum in noſtra Novitiorum Domo per duorum mēſium ſpatium manere mandamus; pro ſecunda per quatuor menſium tempus ibi eum remanere volumus; ac tandem pro tertia pœna ipſi infligenda Prælati ſuperioris arbitrio erit relinquenda.

Ordinamus necnon, ac præcipimus: quod nullus Pater in noſtris adminiſtrationis Domibus aſſignatus, cum in hac Civitate propter negotium aliquod fuerit exiſtens, Miſſæ Sacrificium celebrare valeat, niſi in aliqua ex Eccleſijs Conventuum noſtrorum huiuſce Mexicanæ Civitatis; ſimiliterque præcipimus RR. PP. pro tempore Prioribus, neminem licentiare poſſe ad celebrandum extra hanc noſtram Eccleſiam, præſertim in feſtivis diebus, niſi aliquis Catholici N. Regis Miniſter aliquem Religioſum petat, ut ſua in Domo Miſſæ celebretur Sacrificium.

Item, cùm ſacra noſtratum Inſtituta nos moneāt, ſtudium noſtrum debere præcipuè dirigi ad animarum proximorum profectum, ordinamus, quod R. P. Prior huius noſtri Imperialis Conventus faciat, Patres inter horas canonicas ad audiendas cōfeſſiones deputatos, prædictum munus vigilanter exercere; pariterque præcipimus, quod Patres, qui ad audiendas confeſſiones non ſunt expoſiti, ſequantur ſinguli eorum penes eorumdem antiquitatem ad faciendam Hebdomadam, & ſimiliter, qui ſuam ſeptimanam finiverit, immediatè intret pro ſeptimanario Sacratiſſimæ Communionis, ut Fidelibus omnibus ipſam petentibus, omni omiſſione ſecluſſa, impartiatur.

Ordinamus denique, quod Religioſi, qui, pro ma-

iori noſtrarum legum obſervantia voluerint morari in Convētu ſtrictioris obſervātiæ Stæ. Mariæ de Pietate, ibi aſſignentur; ſimiliter præcipimus Patribus omnibus cuiuſcumque dignitatis, & conditionis ſint, qd non utantur extra ſuum Conventum Birretis albis, utpotè dedecentibus noſtrum Religioſum ſtatum; etiamque ordinamus: qd è ſuo Conventu quiſquis exire nequeat, præſertim per calles publicas, aut plateas abſque alterius Religioſi conſortio. Inſimul præcipimus: Parochis omnibus noſtratum Domuum Priorem habentium, ut omnes Religioſos prædictis in Conventibus aſſignatos vivaci curacitate Mexicanum Idioma doceant, ac ipſos illi ſtudere peragant; Poſtremòque ordinamus ad maiorem noſtrarum legum obſervantiam, ſtandum eſſe omni eo quod ſtabilitum fuit in ordinationibus Rmi. P. N. M. Generalis Fr. Antonij de Monroy ſub die 18. Menſis Septembris anni Domini 1677. exhibitis.

SUPPLICATIONES.

CONSIDERANTES ſummam P. V. Rmæ. benignitatem enixè ſupplicamus, ut matura V. P. Rmæ. diſcretio diſpenſare dignetur graviſſimum illud onus, cui Imperiale noſtrum Mexicanum Cœnobium manet obligatum pro ſolvendis quinque ſcutis, aut peſos, pro quolibet centum capitalis Collegij Sancti Ludovici Civitatis Angelopolitanæ à nobis recepti, reddendo pro quolibet centum, prædicti capitalis, duo ſcuta, aut peſos, atque quatuor drachmas; prout in hoc Regno ſtabilitum eſt ſecundum laudabilē ipſius conſuetudinē ſemper executioni mandatam in capitalibus irredimibilibus, ſicuti modo eſt capitale prædictum à nobis iam receptum. In dies quippè Rmæ. Pater huic Imperiali noſtro Cœnobio irrogatur pecuniarum elargitio, ac ipſam adaugeri experimur, in cōferendo neceſ-

ſaria

ſaria Religioſis in dicto noſtro Conventu aſſignatis, cum in eo ſit Religioſorum numerus ultra aſſuetum propter ablationem quatuor noſtratum adminiſtrationis Domorum. Has igitur propter cauſas Mexicanum hoc noſtrum Cœnobium ab obligatione ſolvendi quinque ſcuta, aut peſos, pro quolibet centum capitalis ſupracitati liberum, atque abſolutum eſſe expectamus; præſertim cum grata ſemper erga nos V. P. Rmæ. clementia firmam, ni fallimur nobis tribuat huius aſſecutionis ſpem.

Supplicamus etiam P. V. Rmæ. ut Patri Lectori Fr. Franciſco Izquierdo in Indijs nato computatum habere dignetur pro gradu, & forma tempus aſſumptum in legendo in noſtro Mexiceo Conventu Theologiam Moralem, priuſquam Philoſophiæ curſum initiaret, dum Magiſtri ſtudentium munere exornaretur; ſimiliterque cum prædictus Pater poſtquam Philoſophiæ curſum legiſſet, immediatè ad Sacræ Scripturæ exedram provectus fuiſſet, ſupplicamus V. P. Rmæ. diſpenſare dignetur in hoc, quod cum debuiſſet poſt Philoſophiæ curſus lecturam ſe ſe in Magiſtri ſtudentium munere exercuiſſe, hoc non ſit ipſi obſtaculum, ut gradum ſuo tempore queat adipiſci.

Rurſus ſupplicamus P. V. Rmæ. quod cum Pater Prædicator Generalis Fr. Joannes Palmeros ſuo in Conventu Stæ. Roſæ de Sombrerete ob nimian ipſius infirmitatem adſiſtere nequeat, diſpenſare dignetur P. V. Rma. ipſum ſtare poſſe alio in Conventu, ubi ſuam queat conſervare ſalutem. Cum ad hanc noſtram Provinciam veniſſent Patres Fr. Nicolaus Landeta Provinciæ Divi Hippolity de Oaxaca Fr. Thomas Cabrera Provinciæ S. P. N. Dominici Beticæ, Fr. Ignatius Sanchez, & Fr. Emmanuel Pliego uterque filij Provinciæ Sanctorum Angelorum Civitatis Angelopolitanæ, & quilibet eorum ſuam petitionem rationabilibus cauſis illuſtratam nobis præſentaſſet ad aſſequendam filiatio-

filiationem in hac noſtra Provincia, ſuppliciter petimus V. P. Rmæ. ut ipſos huius noſtræ Eparchiæ filios exprimere, atque declarare dignetur.

Supplicamus itidem P. V. Rmæ. ut Donato Fr. Franciſco de Leon diſpenſare dignetur defectum, quem à nativitate ſua contraxit, cum ſit ex Sinenſium progenie, ut nigrum noſtrum caputium aſſumere poſſit, hocque eidem conferri, ut bravium ſui laboris, quem actu exercet in noſtro Ingenio de Quahuiztla; cuius non parva augmenta eiuſdem curiæ, ac vigilantiæ tribuuntur; atque inſuper ſupplicamus: quod ſi anteadictum à P. V. Rma. fuerit conceſſum, ſupradicto in loco approbationis annum valeat tranſire ad emittendam Profeſſionem in ſtatu laycali.

Rurſus ſupplicamus P. V. Rmæ. circa æqualitatem graduum pro natis in Indijs, pro natiſque in Hiſpania, ut ius alternativæ ſervetur, antiquum dignetur concedere indultum pro conferendis prædictis gradibus, ſivè idoneis pro natis in Indijs, pro natiſvè in Hiſpania; his, vel illis deficientibus dignis. Ad quam moti ſumus ſupplicationem attentè conſiderantes permagno hoc eſſe pondere natos in Indijs onerare: equidem ex omnibus huius noſtræ Provinciæ alumnis, in Cathedris deſervientibus, in Prædicatione, in omnibuſque religioſis occupationibus, ſi ritè contempletur, ex natis in Indijs pluralitatem, Hiſpanorum numero longè, latèque omnibus præcellere notum eſt. In quatuor namque huius noſtræ Eparchiæ Domibus, quibus viget ſtudium, continuuſque litteralis labor ſubſiſtit, niſi ex natis in Hiſpania duobus demptis, omnes numerantur ex natis in Indijs actu legentes, & ultra hos, propè duodecim qui iam diù terminum ſuæ lectionis attigerunt, alijque ex natis etiam in Indijs, qui Philoſophiæ, ac Theologiæ curſu iam abſoluto, cum exedræ collatione digni exiſtant, ex huius defectu officio tantum Prædicatio-

nis

nis occupantur. Æquum ergo erit, ac juſtum tot laborantium merita abs præmio dimittere? V. Rmæ. P. pietatem, juſtitiam, ac benignitatem hoc permittere nos credere nefas eſt; nam prædicta, aliaque quam plura perſpicientem minantia (fortè quippe ſtudiorum fervorem extingui frigeſcereve accidere poteſt, ex quo magnum noſtræ Religioni ſequi deliquium agnoſcimus) ſuum ad tempus indulta, irritans detinere decretum, ea atque reſerare de novo; quouſque in laborando nati in Hiſpania, natis adæquent in Indijs, fidenter aſſequi expectamus.

POSTULATIONES.

PRO primo Magiſterio titulo Lectionis pro natis in Hiſpania Actu vacante ob mortem R. adm. P. M. Fr. Joſeph de Arzeniega, ex natis in Hiſpania exponimus, & poſtulamus: primo R. P. Præſentatum, S. Officij Qualificatorem, pro Romana, & Regia Curia Procuratorem, Capituli Generalis futuri Definitorem electum, & Secretarium Provinciæ, Fr. Franciſcum Larrea, qui ſuam lecturam per duodecim annos, & ultra vigilanter exercuit, & eius merita in præcedenti Capitulo ſunt annotata; in quo ad eundem gradum fuit ipſomet loco expoſitus: quibus addebat apologiam rationalem, canonicam, & legalem Beneficiorum parochialium regularium Americæ, ab ipſo compoſitam, Religionibus hac tempeſtate utiliſſimam. Ætatis 43, à receptione habitus 28, à promotione ad Præſentaturam 5, numerat annos.

Secundo, R. P. Præſentatum Fr. Felicem Sanchez, qui poſt quam ſuis ſtudijs terminum ſuperabundanter poſuit, ac in eodem tempore Theologicas publicè defendit concluſiones, per tredecim annos lecturam magna cum curacitate exercuit, & in præfato tempore

pore quatuordecim publicas habuit functiones, Regentis ſecundi munus in Collegio S. P. N. Dominici de Porta-Cœli accuratè ſubſtinuit, habet igitur quatuor diſcipulos actù legentes, ex quibus tres Sacram legunt Theologiam, & alter in ſtudentium Magiſtri munere ſe exercet. Ætatis ſunt ei 40. anni, habitus 25.

Tertio, R. P. Præſentatum Regia pro Univerſitate Theologum Doctorem Fr. Michaelem Rodriguez, qui ſuæ lecturæ tempus laudabiliter finivit, ac Regentis ſecundarij munus per tres annos magno cum ſcholaſticorum plauſu exercuit, pluresque Sermones magna cum audientium laude, atque proximorum fructù prædicavit. Annos 40. ætatis, habitus numerat 25.

AD GRADUM MAGISTERIJ TITULO Lectionis, ſi forſan in hoc quadriennio vacaverit.

EXPONIMUS, & poſtulamus: primo R. P. Præſentatum Fr. Felicem Sãchez. Secundo R. P. Præſentatum Fr. Michaelẽ Rodriguez. Tertio R. P. Præſentatum Fr. Joſephum Dominicum de Soſa S. Officij Qualificatorem inſula Doctorali condecoratum, qui ſuæ lecturæ ſpatium magno cum plauſu laudabiliter explevit, ac ſingulariſſimis meritis præditus omnibus apparet, quadrageſimum octavum ætatis enumerat annum, habitus noſtri trigeſimum ſecundum, ac tandem à Præſentaturæ poſſeſſione decimum attigit annum, & ſummam omnem Ang. Præceptor. D. Thomæ Aquinat. publice cum magna omnium admiratione defenſavit præter alia plurima, & ſpecialiſſima merita præcedenti Capitulo relata; in præſentique Capitularibus concluſionibus Præſes adfuit.

PRO

PRO PRIMO MAGISTERIO VACATURO titulo Lectionis pro natis in Indijs.

EXPONIMUS, & poſtulamus ex natis in Indijs: primo R. P. Præſentatum Regia pro Univerſitate Theologum Doctorem Fr. Joſephum Dominicum de Soſa.

Secundo R. P. Præſentatum Fr. Antonium de Arratia, qui poſtquam ſuæ lecturæ tempus laudabiliter conſumavit, ſuaque merita per tria Capitula approbata indicaſſet, viginti quinque à Præſentatura enumerat annos, ætatis habet ſexageſimum primum, ac denique habitus noſtri quadraginta quinque annos.

Tertio, R.P. Præſentatum Fr. Antonium Caſtellanos, cuius merita, ætas, habitúſque noſtri antiquitas in anteactis Capitulis ſunt nota.

PRO SECUNDO MAGISTERIO TITULO Lectionis vacaturo pro natis in Indijs.

EXPONIMUS, & poſtulamus ex natis in Indijs: primo R. P. Præſentatum Fr. Antonium de Arratia. Secundo R. P. Præſentatum Fr. Antonium Caſtellanos. Tertio R. P. Præſentatum Fr. Franciſcum Secundum Guerrero, cuius ætas, atque merita in præcedentibus Capitulis ſunt manifeſta.

PRO PRIMA PRÆSENTATURA TITULO Lectionis pro natis in Hiſpania.

ACTU vacante ob mortem R. P. Præſentati Fr. Joſeph de Alcalà ex natis in Hiſpania unicè exponimus, & poſtulamus: R.P. Lectorem Fr. Perum de Iriarte, qui cum ſit intra ſuæ lecturæ tempus, ſextum annum, treſque enumerat menſes, in quorum ſpa-

